

licet valida sit eorum excusatio, tamen sine damno non est; quia dum quærunt minus bonum, perdunt majus bonum.

Secundo respondent alii, se emisse quinque juga boum, hoc est, implicatos se esse inimicitias, litibus et contentioneibus, necnon gravi peccatorum jugo premi, quod non possint tam facile excutere: vel impediri se propter sordes et paupertatem suam: cum bobus et stabulis, cum stipe et mendicis sibi rem esse, non habere quo honeste vestiantur, etc. Verum hæc excusationes frivola sunt; propterea enim vel maxime festinandum ad confessionis et communionis sacramentum, ut onus peccatorum et inimicitiae deponantur. Lites et causae forenses suum progressum habere possunt, et justitiae committi debent, communionem non impediunt, modo odium et rancor eas non comitetur. Ad vestium cultum vel neglectum non attendit Deus: animam vult mundam; sordes corporis non horret.

Tertio, respondent alii: *Uxorem duxi*, hoc est, conjugio et liberis opera danda: vel: *Uxorem habeo fastidiosam, carnem morbo obnoxiam*. Quibus respondendum, conjugium Christianorum sanctum esse debere, ideoque sic moderandum, ut ne conjugati in solemnioribus saltem festivitibus impediatur ab animae cura et refectione instituenda, sed juxta consilium apostoli, 1. Cor. VII. ad tempus consuetudine abstineant propter orationem et cultum divinum. Non audienda uxor et Eva, quando invitat ad lignum mortis: Deus præferendus qui ad lignum vitae invitat. Aegritudo corporis vel ipsamet hominem urget, præsertim periculosa, ut medelam a Deo quærat per s. communionem.

IV. Est cœna beatifica, de qua loquitur hodierna parabola, necnon Joannes, Apoc. XIX. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*. Ad hanc vocati imprimis Judæi, deinde etiam gentiles. Verum non omnes vocati comparant. Alius enim respondet: *Villam emi*, etc. alter: *Juga boum emi quinque*: tertius: *Uxorem duxi*. Horum excusationes non quidem continent res in se malas aut illicitas, sed tres tamen peccatorum radices notant, quas describit S. Joan. ep. 1. c. II. dicens: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitæ*. Prima igitur excusatio de villa designat superbiam vitæ, ad quam spectat ambitio, fastus, appetitus excellentiæ, laudis et gloriæ. Ejus vero objecta sunt superba vestes, pantiæ, pompa, famuli, rhedæ, dignitates, magistratus, dominia, prædia, eorum tituli, etc. Et hæc multos illaqueat atque a cœlo abducit. Audiamus Ecclesiasticum, c. XI. *Sicut perditur inducitur in caveam, sic et cor superborum*.

De perditioe scribit S. Aug. I. XIII. contra Faustum, c. XII. *Perditio nimis contentiosum animal: notum est, quanta aviditate contentiosis currat in laqueum*. Scimus etiam perditioe objectu picti bovis aut equi propelli in retia: sic igitur et superbi, quia neminem facile audiunt, sed sibi solis sapiunt, cum impetu quasi peccant, et in præcipitum currunt, uti Lucifer qui dicebat in corde suo: *In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, etc.* Veruntamen ad infernum detractus est in profundum lacti, Isa. XIV. Hinc excusator iste ait: *Villam emi, et necesse habeo exire, etc.* Necesse, inquam, habuit, quia fastus novi prædii contemplandi eum vi abripuit in laqueum diaboli. Ad hæc superbi dum contemplantur res pictas honorum, laudum, gloriæ, dignitatum fumos, rati eas esse solidas, impelluntur in laqueum, quemadmodum perditioes. Hinc iste invitatus dixit: *Necesse habeo exire et videre illam*. Videt enim et contemplatur tantum superbus suam gloriam vel excellentiam, nihil aliud inde percipit. Hoc laqueo comprehensus et a cœlesti cœna retractus fuit Heron eremita, qui suis meritis stulte præsumens et illusus a diabolo iniecit se in profundissimum puteum, quasi ob merita virtutum suarum nihil adversi passurus: unde semmortuus a fratribus extractus, perstitit adhuc, et obiit in stulta sua præsumptione, apud Cassian. coll. II. c. V. Idem penè contigisset Secundello diacono, cui in insula vitam eremiticam agenti apparuit tentator in specie Domini dicens: *Ego sum Christus, quem continue deprecaris: jam enim sanctus es et nomen tuum in libro vitæ cum reliquis sanctis meis adscripti; egredere nunc ab hac insula, et vadens fac sanitates in populis.* His et ille illectus deceptionibus discessit ab insula, nec socio nuntiavit: tamen cum infirmis in nomine Christi manus imponebat, sanabantur. Reversus autem post multum tempus ad insulam, venit ad socium cum vana gloria dicens: *Abii extra insulam, et virtutes multas in populis feci*. Cumque contentivus ille interrogaret, quid hoc sibi vellet, cuncta, quæ gesserat, simpliciter pandit. At senex obstupescens, suspiransque ac lacrymans ait: *Væ nobis, in quantum audio, a tentatore delusus es: vade age penitentiam, ne ultra tibi prævaleant ejus doli.* Respuit ergo iste hortatu et precebus S. Friardi, cum quo habitabat, ut scribit Greg. Turonens. I. de vita patrum, c. X. Sur. I. aug.

Secunda excusatio de quinque bobus denotat concupiscentiam oculorum, ad quam spectat avaritia. Ejus vero objecta sunt, aurum, argentum, gemmæ, opes, boves et opes, agri, etc. quæ dum oculos irritant, mentem illaqueant et

CONCIO VI.

VARIUS MODUS COMPELLENDI HOMINES AD SALUTEM.

I. Efficacibus argumentis, et gentiles, et hæretici, et catholici compelluntur. — II. Per instantem prædicationem: 1. Cum zelo. 2. Cum exemplo. 3. Cum doctrina sana. — III. Per miracula. — IV. Per flagella et terrores.

THEMA.

Eci in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Luc. XIV.

In magna ista cœna proponit Christus ferculum, quod multis non tantum non sapit, sed nauseam etiam et horrorem creat; estque verbum illud: *Compelle intrare*. Hoc enim ferculum, quantum procaces pueri timent virgam, quantum fures carcerem et patibulum, quantum scabiosa capita pectinem, tantum horret imprimis hæretici, qui fidem sponte suscipiendam, non coacte, volunt. Deinde, perveraces catholici qui Ecclesie non obtemperant, cum gladio excommunicationis ad obedientiam compelluntur. Denique, omnes reprobi, cum a Deo variis modis urgentur et compelluntur deserere mores perversos, et reverti ad penitentiam. Sed revera isti omnes immerito conqueruntur de hoc tam salutari ferculo. Nam etsi non nihil amaritudinis continet salutem tamen animæ parit. Sed qui modi compellendi? Audiamus.

I. Efficacibus, et insolubilibus argumentis. Sic convicti sunt gentiles de deorum suorum vanitate, cum ad oculum eis ostendebatur, idola eorum non deos sed lapides et ligna, aurum vel æs, adeoque opera manuum hominum esse. Sic convinci possunt hæretici insolubilibus argumentis, quasi nucibus, quas nequeunt frangere dentibus. Veluti primo, si quæramus ex illis, in quo orbis angulo fides Lutherana ante Lutherum, Calviniana ante Calvinum fuerit, ante annum nimirum 1518.

Secundo, cur novæ adhæreant doctrinæ, quæ nec ullo miraculo comprobata est, nec aliquo judicio confirmata, neque ullum adhuc proferre potest, qui in ipsorum secta existens gehennam evaserit, et cujus explorata sit beatitudo: nulum denique habuit unquam imperatorem suæ religionis?

Tertio, ubi et quando et a quibus fides apostolica sit adulterata? Quis primus celebravit missam, confessiones audivit, sanctos et reliquias coluerit, etc.?

Quarto, ubi scriptum sit, nihil esse credendum, nisi quod in ss. litteris expressum est?

Quinto, unde constet ipsis, Scripturæ expositionem, quam ipsi pro suo capite afferunt, præ-

a cœlo abstrahunt. Unde bene concupiscentia oculorum vocatur, uti etiam propterea, quia vix amplius concedit avaro, quam ut opes suas oculis usurpet. Sane iste ait se probare velle boves indicans avaros solum delibare supremis labris opes suas, quia reconditas eas malunt quam a se absumptas. Addit etiam se juga boum quinque emisse: quia avaritia revera grave jugum est, imperans avaro ut vigilet aliis dormientibus, ut jejundet aliis edentibus, ut per maria naviget, et quieti domesticæ renuntiet, ut neglectis aliis honestis et salutaribus studiis, sordibus avaritiæ vacet, cujusmodi avarissimum episcopum Pragensem, nomine Albicum, describit Cochleus, l. 1. et Aneas Sylvius graphice ad modum depingit dicens, claves cellæ cingulo alligatas gestare, et carnem ferinam aliunde dono sibi missam, per famulos in foro vendere, atque etiam ne edacioribus ministris uteretur, anus edentulæ opera in culina uti solitum. Idem rogatus aliquando eodem testante Sylvio, quis sonus omnium maxime esset molestus? Eum, aiebat, quem maxillæ os rodentes, ederent. Et hoc quidem modo, neglecto commissarum suæ fidei ovium pastu, bonus ille vivebat archiepiscopus. Timendum sane ne pastor iste bobus tantum intentus cœnam illam Dei neglexerit.

Tertia excusatio de uxore ducta notat concupiscentiam carnis, ad quam pertinet gula et luxuria. Ejus objecta sunt vinum, epulæ, Venus. Hæc hominem quodammodo absorbet, et in bestiam commutat, ut de Deo et cœlesti cœna vix unquam cogitare queat, sed in patinis semper et cubiculis hærerat affixus. Unde ait iste: *Uxorem duxi*, quam videlicet dimittere non licet. Priores duo emerunt villam et boves, unde eas iterum alienare et deserere poterant; sed uxor ducta alienari aut deserere nequit. Rursum, priores illi adhuc rationis et humanitatis aliquid habere, dum dicunt: *Rogo te, habet me excusatum*; sed iste nihil rogat et culpam non agnoscit. Denique, priores si instantius rogati fuissent, poterant flecti, sed hic minime, unde ait iste: *Ideo non possum venire*, prorsus inhumaniter, quasi libero arbitrio et ratione destitutus; quia Osee IV. dicitur: *Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor*, id est, mentem et judicium; uti Theotimo illi, apud Ambros. l. IV. in Luc. IV. qui spreto medici consilio maluit oculorum lumine, quam uxoris consuetudine destitui, dicens: *Vale amicum lumen*. Eadem libido Salomonem, uti timendum a cœna illa abstraxit; siquidem dubia est ejus penitentia et salus. Abstraxit Henricum VIII. Angliæ regem ob inductam legitimæ conjugii Annam Bolenam uti ab Ecclesia, ita et ab ejus cœna. Quare moriens jure dicit: *Amici omnia perdidimus*. Quod a nobis avertat Deus.

stantiorem et congruentiorem esse illa, quam sancti patres a tot sæculis tradiderunt?

Sexto: «Responde, inquit S. Augustinus, l. II. contra Iudæitium, utrum Ecclesia (oriente Donato) perierit, annon perierit. Elige quod putaveris. Si jam perierat, Donatum quæ peperit? Si autem tot in eam sine baptismo aggregatis perire non potuit, responde quæso ut ab ea se tamquam malorum communionem devitans, pars Donati separaret, quæ dementia persuasit?» Pari modo, sic concludo: Oriente Luthero, vel Calvino, Ecclesia et vera fides vel periit, vel non periit (hæc enim duo, Ecclesia et vera fides, necessario conjuncta sunt; nam si uno in articulo erret, Ecclesia Dei non est); si periit, ergo non solum Ecclesia Christi per tot annos extincta fuit, sed ipse Lutherus et Calvinus extra Ecclesiam, adeoque vel hæreticus vel paganus fuit, ideoque audiri non debuit. Si non periit, sed in vera Ecclesia nati sunt, ergo ab ea recedere non debuerunt, et cum recesserunt, a vera fide recesserunt.

Itaque si veritatem dicimus vobis, o hæretici, quare non creditis nobis? Compelli etiam et convinci possunt argumentis catholici quam plurimi in peccatis degentes. Primo, si verum est, Deum videre omnes nostros actus quomodo in oculis ejus peccare audemus? Secundo, si credimus, uni peccato mortali infernum esse decretum, quomodo committere vel unum possumus? Tertio, quomodo audemus vivere in tali statu, in quo diffidimus mori? Quarto, quomodo audemus differre tamdiu pœnitentiam, qui crastinum polliceri nobis non possumus.

II. Per instantiam et seriam prædicationem vitiorumque reprehensionem: præsertim quando in docente vita inculcata est et doctrinæ correspondens. De primo apostol. II. Tim. IV. ait: *Prædica verbum, insta opportune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina.* De secundo ad Gal. II. *Si tu, cum Judæis sis, gentiliter vivis et non Judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* His accedere imprimis debet doctrina sana et sincera, quæ nihil habet turpe aut repugnans rationi. De quo apostolus ad Titum 1. *Potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere.* Et sic triplicem nectemus funiculum, qui facile trahet homines et difficile rumpitur. Per primum ostenditur, quam necessaria et quanti momenti sit doctrina, quæ traditur utpote quam doctores tanta contentione animis hominum inserere conantur. Qui funis traxit imprimis non solum in admirationem, sed etiam in susceptionem fidei Japones, ipsosque eorum sacrificulos, bonzios. Admirabantur enim in Xaverio stupendam animi magnitudinem; qua, religionis dumtaxat propagandæ

causa, e Lusitania in Japoniam tot tantisque oceani tractibus tantisque cum periculis contemdisset, ut habet historia societatis, p. 1. l. IX. n. CCX. Igitur boni consulite, auditores, si quid ex cancellis sæpius et vehementius inculco. Video enim periclitari salutem vestram. Quis neget angelos illos maximum præstitisse beneficium Lotho et uxori ac filiabus ejus, quando eos coegerunt exire de Sodomis, ubi incendio periissent, Gen. XIX. Idem omnino ego facere adnitor. Per secundum ostenditur esse possibile, quod docetur; siquidem re ipsa præstatur a docente, quod alioqui multi impossibile existimant. Multum etiam valuit hic secundus funis ad convertendos Japones, apud quos cum doceret in trivio pro concione Joannes Fernandus comes sociusque Xaverii, præteriens forte Japon collectam in ore salivam concionantis in faciem sordibus excreavit. Qua ille macula ignominiaque notatus sine ulla animi perturbatione motuque ac ne verbo quidem reddito, linteolo ora deterisit; eodemque tenore sermonem ab se institutum, eodemque prorsus vultu pertexit. Id contemplatus ex auditoribus quidam haud iniquus rerum æstimator cogitare apud se cepit, divinum profecto philosophiæ genus id esse quod homines ad tantam æquitatem constantiamque perduceret: dimissaque concione domum ad Fernandium venit, cognitisque probe legibus institutisque christianis Amanguciatorum omnium primus Christianus efficitur, hist. societ. p. 1. l. XI. n. CIV. Narrat etiam Maffei, in vita B. Ignatii, l. II. c. XIII. adolescentem quemdam Lutheranium qui disputando converti non poterat, traditum Ignatio atque ab eo in domum acceptum fuisse conversum. Qui rogatus, quomodo ita mentem antea inextinguibile mutasset, respondit, se Ignatii et sociorum non tam argumentis (licet et iis valent plurimum) quam spectatæ sanctitatis virtutisque cessisse; quod ita apud se prope necessario statuisset, a tam incorruptis moribus, a tanta pace et concordia, a tam bonis operibus rectam in Deum fidem abesse nullo modo posse. Per tertium ostenditur doctrinæ sanitas et securitas carens omni erroris periculo. Ut autem stomachus appetit cibum et respuit venenum, ita intellectus appetit veritatem et respuit falsitatem. Traxit etiam hic funis Japones aliasque barbaras gentes ad fidem christianam, cum scilicet viderent ea quæ docentur, ipsi rationi et lumini naturæ esse tam conformia, sua vero dogmata esse tam turpia et a ratione aliena: uti seipsum occidere, etc.

III. Per miracula. Hac etiam ratione, ut alibi ostendimus, compulsi sunt imprimis Ecclesiæ temporibus ad fidem gentes. Quibus hoc iam

addamus. «Anno 386. evenit (inquit Paulinus, apud Baron. anno. cit.) ut Arianus quidam acerrimus disputator et inconvertibilis ad fidem catholicam, tractante episcopo apud populum videret, (ut ipse postmodum loquebatur) angelum ad aures episcopi tractantis loquentem ut verba angeli populo episcopus renuntiare videretur. Quo ipso conversus, fidem quam expugnabat, cepit ipse defendere.» Compelluntur etiamnum in novo orbe crebris adhuc miraculis, quæ fiunt in administratione sacramentorum, per orationes, præconem fidei, etc. Sæpius etiam legimus conversos per miracula hæreticos. Et nisi cæsi sint hæretici hujus temporis, possunt et ipsi videre mira, quæ his præliis contra ipsos gestis contigerunt. Uti sunt prodigia in pugna Pragæ aliquot: equorum horror, conspectus peregrini exercitus, angelorum scilicet: in pugna ad arcem Lutheranam, conspectus gladii in aere minantis hostili exercitui, etc. Item vindictæ divinæ in eos qui catholica sacra profanarunt. Uti in Fridericum Palatinum ejusque conjugem, postquam reliquia ss. et templum Pragæ contaminarunt: in Christianum Brunovicensem, Mansfeldium, etc. qui male perierunt: in alios hæreticos, uti milites duos, quorum unus cum imagini Deiparæ nasum abscidisset, cito et ipso naso est truncatus; alter cum similem suspendisset imaginem, brevi et ipse suspensus est: rursus, in filium Prædicantis, qui cum in nocte nativitatis Domini, anno 1626. catholicis in templo agentibus, foris imaginem crucifixi vulnerasset, sanguis inde ad terram usque profluxit, quem nec ipse pater ejus cohibere potuit, visusque est a catholicis templo egredientibus, ex litteris P. Knor scriptis e castris Tillianis, anno 1627.

IV. Per flagella et terrores. Sic imprimis compulsus est Saulus ut fieret Paulus, quando voce de cælo missa percussus et in terram prostratus fuit, Act. IX. Sic Natalius confess. an. 107. in Theodoti coriarii hæresin, pecuniæ largitione inductus et eorum creatus episcopus per divinas visiones sæpius admonitus, tandem per integram noctem a sanctis angelis cæsus, respuit, et primo mane surgens cilicio indutus, cineribus conspersus, magno cum mœrore et lacrymis ad pedes Zephyrini pont. se supplicem abiciens, et non modo ad cleri, sed laicorum etiam genua advolvens, post multas preces et ostensiones vibicum plagarum quas acceperat, vix tandem in Ecclesiæ unionem receptus est, Eusebius, l. V. c. XXVII. apud Baron. an. cit. Sic Arnobius rhetor in Africa, gentilis, ad fidem per somnia compulsus est, ut scribit S. Hieron. in addit. ad chron. Euseb. apud Baron. an. 302. Sic Mutius, primo gentilis, postea ab-

bas, natura terox et latrocinii deditus, ita ut etiam sanctorum delubra expoliando profanaret, vidit tandem in quiete virum forma habituque augustiore quam humano, comminantem sibi necem, nisi protinus a flagitiis sacrilegisque se submoveret. Cumque pavore percussus repente evigilasset, nihil moratus ad ecclesiam confugit, et baptisate suscepto eremum petiit et vir sanctus evasit, ex vitis pp. Marulus, l. II. c. VIII.

Hac via compellit hac ætate vel compellere saltem nititur. Primo, hæreticos ad abjurandum hæresin, dum tot tantisque catholicorum victoriis eos attrivit et confudit, ut nisi cæci sint, manifeste cernere possint stare Deum a parte catholicorum, velleque ut ipsi ad Ecclesiæ caulam revertantur. Videtur de illis prophetasse Oseas, c. VII. cum ait: *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor: Ægyptum invocabant, ad Assyrios adierunt. Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum: quasi volucrem cæli detraham eos.* Ut enim columba domestica columbis alterius columbarii sibilique aucupis affecta, in illud sponte se infert capique sinit: ita urbes et nationes aliquot Germanorum ad exemplum aliorum et sibilum Lutheri, ab Ecclesiæ columbario ad alienum hæreseos avolarunt et se capi permiserunt, non habentes cor seu mentem, siquidem ad sectam tam novam et spurcam abierunt. Insuper in nuperis tumultibus invocarunt in auxilium Turcam, ejusque vasallum. Idcirco misit Deus venatorem, qui veluti reti eos caperet, et ad obedientiam Ecclesiæ et imperatoris reduceret: quemadmodum olim de Timotheo Atheniensi dicebatur proverbio: *Retibus urbes capit, teste Ulpiano, in II. Demosth. Olynth.* Hac eadem via compellere etiam potest et solet Ecclesia hæreticos pœnis et suppliciis: uti non solum ecclesiastica sed etiam Cæsarea jura sanxerunt. De quo immerito conqueruntur hæretici. Primo, quia cum semel Ecclesiæ fidem dederint, velut perduelles puniri possunt ac debent, uti miles qui post datam duci fidem sit transfuga: secundo, quia hæresis crimen grave admodum et noxium reip. est, uti experti sumus: denique, quia ad bonum compelluntur, ad ovile Christi. Unde ut S. Augustinus, ep. L. scribit ad Bonifac. «Non tam oportet considerare eos quod compellantur, quam ad quod compellantur;» et rursus: «Melius quidem esse quis dubitaverit ad Deum colendum homines doctrina duci, quam timore pœnæ vel dolore compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit timore vel dolore cogi ut possint postea doceri, aut quod jam verbis didicerunt, opere sectari.»

Et vero felices illos, si agnoscerent, quorsum id Deus faciat. Quemadmodum enim tempore diluvii optime actum faisset cum reprobis, si ad arcam compulsi fuissent, ne perirent in diluvio, ita felix est calamitas, quæ compellit hæreticos, ut intrent in Ecclesiam, quod aliquando experientur.

Secundo, etiam catholicos, ut mores suos componant, vitia deponant; dum tot cladibus, modo bello, modo peste, modo annonæ caritate et fame eos affligit, quemadmodum his temporibus experti sumus. Quid enim aliud sibi vult Deus his plagis, quam quod sibi voluit Absalon, cum vocatum ad se Joabum et venire nolentem, compulsi venire, dum misit servos suos ut incenderent et vastarent agrum ejus, II. Reg. XIV. Quia enim venire ad Deum toties vocati nolimus, immittit Deus servos suos, inam, inundationem imbrium, siccitatem, grandinem, milites, morbos in agros, fines et domos nostras, ut vastent omnia nostra, donec veniamus. Unde S. Gregorius ait: *Mala quæ nos hic in mundo premunt ad Deum ire compellunt.* Hac arte compulsus est prodigus filius redire ad patrem suum, fame scilicet et servitute cogente: sic compulsi ad poenitentiam et agnitionem peccati sui fratres Josephi, quod in ipsum commiserunt, fame perurgente quam immisit Deus, ut occasione ejus descenderent in Ægyptum ad fratrem, et ibi deflerent peccatum suum: unde Ps. CIV. eâ de re dicitur: *Et vocavit famem super terram* (quasi lictorem ad castigandos prævaricatores) *et omne firmamentum panis contrivit, misit ante eos virum* (Josephum), etc.

Rogemus itaque Deum, ut non modo vocet nos ad cœnam, sed etiam ut si excusare et refugeré velimus, compellat.

CONCIO VII.

TRIA TEMPORA ET TRES MODI, QUIBUS TRIA HOMINUM GENERA VOCATA SUNT AD FIDEM.

- I. Tempus a Christi morte usque ad excidium regni Romani occidentalis. — II. Tempus ab interitu occidentalis imperii usque ad Carolum Magnum.
- III. Tempus a Carolo Magno usque ad finem mundi.

THEMA.

Domine, factum est, ut imperasti, et adhuc locus est.
Luc. XIV.

Evangelium hodiernum, auditores, non meram complectitur parabolam, sed etiam prophetiam, de gentium vocatione ad fidem, tribus distinctis legationibus instituenda: prophetiam inquam, quando Christus eam proposuit,

nunc autem vere historiam et rem factam. Tres porro legationes in illa proponuntur: prima vocantur homines, secunda adducuntur, tertia compelluntur intrare: prima divites, secunda pauperes, tertia agrestes: primi in ædibus, secundi in vicis et plateis: tertii in viis extra urbem et sepibus habitantes: illi prope, isti non ita procul, hi longius remoti: e primis nulli accedunt, e secundis multi, e tertiis qui impleant domum. Omnia hæc cernuntur in gentium vocatione ad Christi fidem: prima enim legatio duravit ab ascensu Christi usque ad interitum regni Romani occidentalis circiter, qua vocati divites sed pauci venerunt: secunda ab occasu regni Romani usque ad tempora Caroli M. qua adducti sunt multi populi in finibus Romanorum positi, sed pauperes et rudes: tertia inde ad judicii diem, qua compulsi plurimi in viis positi ad fidem amplectendam. Nunc ista clarius intuebitur.

I. Tempus legationis fuit, quod intercessit ab obitu Christi usque ad imperium Romanum in occidente excisum, et ad orientem omnino translatum (æstimamus autem hæc tempora juxta potissimam partem). Dicimus autem Romanos divites et qui in urbibus morabantur, quique primo ex gentibus vocati sunt ad fidem; nam certum est Romanos primis Ecclesiæ temporibus fuisse opulentissimos præ omnibus aliis nationibus. Quidquid enim exultæ regionis et opulentæ fuit, tunc sub ditione Romanorum fuit. Abundant tunc Romani villis magnificentissimis, unde unus ait: *Villam emi.* Agros item habebant exultissimos et amplissimos; unde alius dixit: *Juga boum emi quinque.* Connubia instituebant, et convivia nuptialia ingenti apparatu, voluptatique ac deliciis supra modum indulgebant; unde alius inquit: *Uxorem duxi.* Modus quo isti invitati sunt, nuda vocatio fuit. Vocati enim sunt per nuntiorum Christi prædicationem et miracula innumera; ita ut excusationem non haberent. Cæterum adducti non sunt, quia tunc Christi nuntii, sacerdotes et prædicatores, apud gentes nullo pene in honore erant, nec præditi potestate vel auctoritate, qua compellere homines vel adducere ad Christi cultum possent. Neque Deus tunc solebat magnis et extraordinariis beneficiis delinire principes sæculi et imperatores, adeoque tam suaviter ad se adducere ut posterioribus temporibus, sed plerumque increpabat eos per suos martyres et confessores.

Numerus illorum, qui vocationi huic acquieverunt, tam exiguus erat respectu eorum qui non acquieverunt, ut recte dicatur in evangelio: *Cœperunt simul omnes excusare.* Erant enim tunc Christiani omnibus exosi et ideo fere occulti, et nemo audebat se Christianis jungere, nisi præ-

sentissimo vitæ periculo se vellet committere; quisquis se prodebat, statim ad tribunal rapiebatur et exterminabatur. Unde Maximiano Herculæo imp. spectante in circo maximo ludos Circenses clamavit populus duodecies: *Christiani tollantur*: et iterum decies: *Auguste, Christiani non sint.* Unde permotus Maximianus edictum edidit, ubicumque Christiani inventi fuissent, aut sacrificare cogentur diis, aut certe pœnis interirent, facultatibusque nudarentur, Baron. anno D. 304. Accedit, quod divitiis abundabant et voluptatibus addicti erant tunc Romani supra modum; cujusmodi homines difficile est convertere, testante Domino. In his ergo velut in spinis, semen verbi Dei suffocatum est. Addicti quoque erant suis imperatoribus et hæreditariis erroribus. Denique, ad primam hæc legationem pertinere videtur, quod Dominus apud Matth. c. XXII. in simili parabola proposuit. Cum enim invitatos ad nuptias, duplici legatione vocasset, et primi quidem nolent venire, de secundis subdit: *Illi autem neglexerunt et abierunt alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam; reliqui vero tenuerunt servos ejus et contumelias affectos occiderunt: rex autem cum audisset, iratus est et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos et civitatem illorum succendit.* Prima legatio in hac parabola videtur esse illa, quæ ad Judæos facta est, secunda quæ ad gentiles. Judæi venire volebant, et licet tenerent et occiderint aliquos Christi servos, paucissimos tamen in comparatione eorum, quos affixerunt et occiderunt Romani, a quibus aliquando concessum erat publico edicto, ut cuilibet volenti liceret impune Christianum occidere, ut ex actis S. Anysie colligitur, apud Sur. 30. decemb. Legat. qui vult apologias Athenagoræ, Justin, Tertulliani, Cypriani, Arnobii, et aliorum, ex quibus intelliget, quanta tunc Christianorum carnificina exhibitæ fuerit, quantaque maledicta gentiles congesserint in Christianos. Unde justo Dei judicio etiam illud contigit, quod hæc parabola prædicatur, ut Romanum imperium immisiss barbarorum exercitibus perderetur, et Roma ab iisdem occuparetur, ipsumque occidentale imperium funditus tandem excinderetur. Sed objiciet aliquis, vastationem et exterminium occidentalis imperii contigisse diu post immanes illas persecutiones in servos Dei excitatas: et quidem tunc, quando in imperio Romano Christus jam agnoscebatur et colebatur, etiam remo amplius in servos Dei injurius erat. Sed qui historias perlustrat, aliter rem se habere intelliget. Nam imprimis licet Constantini Magni tempore fides christiana exaltata sit et longe propagata, non tamen illico exterminata idololatria, quæ adhuc passim et per unum

alterumque sæculum vigeat, non in ædibus magnatum solum, sed et multo maxime extra urbes in foris et pagis. unde ethnicæ tunc pagani dicti, teste Baron. an. D. 351. Deinde, tametsi Constantinus Magnus: « Primum pietate ornavit imperium et dæmonibus quidem sacrificare omnibus interdixit; non tamen eorum templa destruxit, sed inaccessibilia esse præcepit. Cujus filii paterna vestigia sunt secuti: Julianus autem renovavit impietatem, et flammam veteris seductionis accendit. Porro Jovinianus imperio sumpto, rursus immolationes prohibuit idolorum. Valentinianus autem major, hujusmodi legibus usus gubernavit orbem. Porro Valens quidem omnibus aliis concessit ut religiones suas colerent, sicut vellent, illos solos impugnans, qui pro apostolicis dogmatibus decertabant; omni siquidem tempore ejus imperii et ad aras ignis accendebatur et libamina atque sacrificia idolis offerebantur. Sed et publicas festivitates per plateas agebant et orgia Dionysii celebrabant, et cum sacris currebant, canes eviscerantes, furentes atque bacchantes, » ait hist. Tripart. l. IX. c. XXXIII. Rursum, teste Zozimo, in hist. sua quo tempore barbari invaserunt occidentale imperium, senatus Romanus maxima ex parte prisca adhuc superstitionibus addictus fuit. Nobiliores item magistratus in urbe adhuc pene gentiles erant. Denique, qui secuti sunt imperatores, sæpe in pontifices et episcopos inique egerunt, uti imprimis Justinianus, qui extremis temporibus suis Silverium pontificem coniecit in vincula. Hinc per ista tempora ingentes calamitates presserunt occidentale imperium. Sub Valente Gotthi Romanum exercitum fuderunt, cujus dux Trajanus Valenti exprobrans: « Non ego, inquit, imperator victus, sed tu ipse prodidisti victoriam, qui contra Deum aciem instruere non desinis, et ita ejus auxilium barbaris concillas: nam abs te oppugnatus se illis adjungit: » item: « Non nosti, quos viros Ecclesiis expuleris et quibus eas tradideris, etc. » Baron. anno Domini 378. Sub Honorio et Theodosio Wandali, Alani et Suevi Hispanias invaserunt: sub iisdem Alaricus Gothorum rex Roman obsidione premit, capit, et expoliatur, et partem incendio vastat: sub Theodosio et Valentiniano Wandali in Africam transierunt nullo obsistente et omnia vastationibus, incendiis, et cædibus complentes occuparunt: sub Marciano et Avito Franci et ipsi gentiles Gallie dominari cœperunt, Parisiis expugnatis: denique, sub Zenone imperatore orientis, imperium occidentale quod in Augusto incœperat in Augusto relegato in exilium omnino defecit, et Gothos habere reges Arianos cœpit, Totilas sub Justiniano Romam pene excidit.